Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 439
Quelle:
Copyright:

est, ut sit *Clementis* haec Epistola, ut potius historica sit ex *Abdia, Clemente, Marcello, Lino, Philone* consarcinatio de *Simone Mago, Petri* Adventu *Romam, Marci* Evangelio, *Philonis* in *Aegypto* Institutis, et Actis *Pauli Romanis.* Nec satis; sequitur enim

III. *fol.* 82. *Item epistola clementis ad eundem iacobum apostolum de eorundem passione.* Initium: *Clemens vero cum Judeorum bello romani exercitus ualidam manum cognouisset* &c. Eadem crambe. Multa verbis ipsis *Abdiae.* Finis: *Alter cruce. alter gladio necati sunt. Regnante d. n. i. christo qui uiuit et regnat* &c. ut Homiliam concludi putes. Non reperio haec *Acta* apud *Fabricium* in *Cod. Apocr. N. T.* quae fortasse partem olim vetusti *Lectionarii* constituebant.

IV. *fol.* 83. *Epistola clementis ad Jacobum.* Paullo verius. Initium: *Clemens Jacobo domino* &c. *Notum tibi facio domine. quia symon petrus. qui uere dei* (fidei) *merito* &c. Ex interpretatione *Rufini*, ut apud *Cotelerium cit.* p. 611. Exemplum Editis corruptius.

V. *fol.* 86. p. 2. *Epistola clementis ad iacobum.* Initium: *Clemens Jacobo Karissimo: Quoniam sicut a Petro accepimus omnium apostolorum patre* &c. Est haec inter famosas *Isidori Mercatoris Decretales* II. non tamen in *Codice* integra, ut patet ex edit. *Dav. Blondelli, Genevae* 1628. p. 60. 4. ubi inscribitur: *De sacratis Vestibus vel Vasis*, non sat apte; multa enim alia praecipiuntur de Corpore Domini, de Vita Clericorum &c. Noster non parum ab Editis variat. Ita legas: *nostro ex ordine docuit instruere* pro: *te ex ordine nos decet instruere.* Item: *cum timore et tremore reliquias corporis domini* pro: *cum timore et tremore clericorum reliquias fragmentorum corporis domini.* Item *grauioris anathematis percussus preiudicio* pro: *graui anathemate.* Item *tanta in sacrario* pro: *in altario.* Item *clericorum cautela et diligentia* pro: *clericorum diligentia.* Item *ne videantur sanctę porcioni eos cybos commiscere* pro: *ne putent sanctæ portioni commisceri cibum* &c. Post verba: *qui onus graue ordinatori adducant*, incipit turbari *Codex*, multisque omissis ita terminatur: *Qui autem te non audierit. immo deum loquentem per te ipse dampnationem accipiet.*

Fol. ult. nitidior manus addidit Sequentiam de S. *Laurentio*, de S. *Maria*, et *Prosam de apostolis et de euangelistis* notis musicis instructas. Quae media est, facilitate sua se multum commendat; ita enim orditur:

Salue mater saluatoris,
Uas electum, uas honoris,
Uas celestis gratię,
Ab eterno uas prouisum,
Uas insigne, uas incisum
Manu sapientię.

Salue